MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCLXXXIX ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

D. III. IUL. CIƆIƆCCCXXXII.

Q. B. F. F. Q. S.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

M. IOANNES THEOPHILUS KREYSSIG,
ILLUSTRIS SCHOLAE AFRANAE PROFESSOR SECUNDUS.

---

*Meletematum criticorum Specimen I.
in quo locus Liv. XLV. cap. 27. et 28. de L. Aemilii Paulli
itinere per Graeciam facto tractatur.*

MISENAE,
EX OFFICINA MAURITII CHRISTIANI KLINKICHTII.

1832

PROLOGUS.

Quum mihi necopinanti huius quidquid est libelli intra brevissimum temporis spatium conscribendi necessitas imponeretur, id quum maxime agebam, ut Livii librum tertium et tricesimum ad codicis Bambergensis atque editionum antiquarum fidem denuo recognitum cum varietate, quam vocant, lectionum in ceteris, quos ille continet, Livii libris ex eodem codice excerpta in vulgus emitterem. Hunc enim librum manu scriptum, cuius usum Ioachimus Iaeckius, bibliothecae Bambergensis praefectus, quem nuper coram praesens, ut Plautus ait, praesentem vidi, mihi perquam benevole concessit, a Francisco Goellero et Immanuele Bekkero, philologis celeberrimis, non ea, qua oporteret, cura ac diligentia excussum esse, alibi copiosius demonstravi[1]). Nolui igitur, oblata scribendi opportunitate, codicem praestantissimum et auro contra non carum

1) Vid. nostram editionis Livii ab Imm. Bekkero adornatae censuram, quae Ephemerid. literar. Ienens. a. 1831. No. 153—156. p. 257. sqq. inserta est, simulque exponit de Franc. Goelleri libro ita inscripto: *T. Livii Patavini Historiarum Liber tertius* [*et*] *trigesimus, auctius atque emendatius cum Fr. Iacobsii suisque notis ex cod. Bamberg. edidit Franc. Goeller. Accessit Epistola Io. Theoph. Kreyssigii ad Editorem et Varietas lectionum in libris* XXXI — XXXVIII *ex eodem codice excerpta, cum specimine scripturae lithographico. Francof. ad Moen.* 1822. Descriptio codicis egregii, quem Iaeckius in libro: *Vollständige Beschreibung der öffentlichen Bibliothek zu Bamberg. Nürnberg*, 1831. Part. I. p. LII. et 110. ad saeculum undecimum retulit, parum accurata p. 347. sqq. legitur. Ceterum Paderbornensem libri tricesimi tertii editionem, ab Io. Horrione a. 1617. paratam et Romana sive principe, a. 1616. emissa, longe praestantiorem, qua solus Fr. Gronovius usus est, neque Goellerus sibi comparare potuit, neque mihi magnopere illam desideranti, ut nanciscerer, huc usque contigit.

de manibus deponere, sed lectionum maxime memorabilium, earumque a Goellero praetermissarum specimen dare, simulque, ut, quantam codex Laurishamensis sive Vindobonensis[2]), cum Moguntino, nunc in deperditis habendo, nisi me omnia fallunt, olim coniunctus[3]), cuius lectiones Bartholomaeus Kopitarius, bibliothecae Caesareae Vindobonensis custos, in meos usus enotavit, vel post eximias et praeclaras Simonis Grynaei curas, etiamnum praebeat coniectandi materiem, luculentius appareret, hunc illi comitem adiungere constitui. Propterea locum Liv. XLV, 27. et 28. maxime illustrem illum, quo Livius, Polybium secutus[4]), L. Aemilium Paullum consulem, filium patre, qui magnae, ut Horatius ait, animae prodigus in proelio ad Cannas cecidit, vir-

2) De hoc codice, ex quo Sim. Grynaeum Livii Libb. XLI—XLV. primum Basilcae a. 1531. edidisse constat, praeter ea, quae in extrema ed. Bas. pagina leguntur, vid. Pet. Lambeccii Commentariorum de Biblioth. Caes. Vindob. Lib. II. cap. 8. p. 943. sqq. sive ed. Liv. Drakenborch. Tom. VII. p. 223. sqq. atque Georg. Ludov. Walchii Emendatt. Liv. p. 245. sq. et p. 255. sq. cui libro etiam scripturae exemplum est adiectum.

3) Satis enim constat, codicem Moguntinum in libro XL. finem habuisse, et Vindobonensem a libro XLI. initium cepisse. De huius scriptura autem recte dixeris eadem, quae de scriptura illius et excerpendi labore Nic. Carbachius in praefatione lectionum varietati ed. Mogunt. adiectae praefixa dixit hunc in modum: *Ceterum non sine molestia ac taedio id facere nobis licuit, quod est codex ille non tantum adeo antiquis scriptus literis, ut nisi ab assueto legi haudquaquam possit, repuerascendumque propemodum nobis fuerit in noscitandis literis, sed tam corrupte atque indistincte, ut difficillimum plerumque sit sensum aliquem elicere.* Atque hanc ipsam ob causam Carbachium eiusque socium manifestos librarii errores in varietate lectionum enotanda silentio praeteriisse suspicor.

4) Pauca illa Polybii fragmenta, quae a Suida peropportune servata Tom. IV. p. 482. sq. et Tom. V. p. 44. sq. ed. Schweighaeus. ad tricesimum Polybii librum referuntur, cum Livii narratione contulisse iuvabit. Ac primum quidem de Corintho: Ὁ δὲ θαυμάσας τὴν τῆς πόλεως θέσιν, καὶ τὴν τῆς ἀκροπόλεως εὐκαιρίαν πρός τε τοὺς ἐντὸς Ἰσθμοῦ καὶ τοὺς ἐκτὸς ἀπολαμβανομένους τόπους· deinde de Sicyone, Argis et Epidauro: Ἐπισημηνάμενος δὲ τοῦ Σικυῶνος τὴν ὀχυρότητα, καὶ τὸ βάρος τῆς τῶν Ἀργείων πόλεως, ἦλθεν εἰς Ἐπίδαυρον· denique de Olympia: Πάλαι μετέωρος ὢν, εἰς τὴν τῆς Ὀλυμπίας θέαν ὥρμησε. — Λεύκιος Αἰμίλιος παρῆν εἰς τὸ τέμενος τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ, καὶ τὸ ἄγαλμα θεασάμενος ἐξεπλάγη, καὶ τοιοῦτον εἶπεν· Ὅτι μόνος αὐτῷ δοκεῖ Φειδίας τὸν παρ' Ὁμήρῳ Δία μεμιμῆσθαι· διότι μεγάλην ἔχων προσδοκίαν τῆς Ὀλυμπίας, μείζω τῆς προσδοκίας εὑρηκὼς εἴη τὴν ἀλήθειαν. His adde Plutarch. Aemil. Paul. cap. 28. ubi de eodem itinere brevius exponitur.

tute et rei militaris gloria non inferiorem, anno 587. a. u. c. sive 167. a. Chr. n. totam fere Graeciam peragrasse[5]), accurate enarravit, ad codicis unici et antiquissimi normam denuo exactum atque emendatum descripsi, et, lectionum diversitate contextui orationis subiecta[6]), in adnotatione critica mutationum omnium rationem bona fide reddidi. Simul autem hoc mihi sumpsi, ut, latius evagandi libertate criticis concessa sive usus, sive abusus, plus iusto ab rerum ordine declinarem, et de multis aliis Livii locis, qui libro tricesimo tertio potissimum atque extrema, quae superest, operis Liviani parte leguntur, modo brevius, modo uberius exponendo legentibus velut deverticula amoena quaererem, atque horum locorum indicem libello repentina et quasi tumultuaria opera conscripto subiunxi.

5) Cf. Georg. Orthob. Wilkii, Misenensis, de peregrinatione Paulli Macedonici per Graeciam, ad Liv. XLV, 27. 28. expositio. Lipsiae, 1688. qua res magis a Livio traditae, quam verba illustrantur.

6) Notarum singularum, quibus ad varietatem lectionum discernendam usus sum, haec est ratio, ut *Cod.* codicem Laurisbamensem sive Vindobonensem, *Frob.* 1. editionem principem, a Frobenio Basileae a. 1531. typis exscriptam, *Frob.* 2. editionem Basileensem a. 1535. atque *Drak.* et *Bekk.* Livii editiones a Drakenborchio et Bekkero adornatas significet.

T. LIVII

AB URBE CONDITA

LIB. XLV. CAP. 27. ET 28.

Cap. XXVII. Dum haec in Illyrico geruntur, Paullus ante adventum decem legatorum Q. Maximum filium, iam ab Roma regressum, ad Aeginium et Agassas diripiendas mittit: Agassas, quod cum Marcio consuli tradidissent urbem, petita ultro societate Romana, defecerant rursus ad Persea; Aeginiensium novum crimen erat: famae de victoria Romanorum fidem non habentes, in quosdam militum urbem ingressos hostiliter saevierant. Ad Aeniorum quoque urbem diripiendam L. Postumium misit, quod pertinacius, quam finitimae civitates, in armis fuerant. Auctumni fere tempus erat; cuius temporis initio ad circumeundam Graeciam, visendaque, quae nobilitata fama maiora auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur, ut statuit, praeposito castris C. Sulpicio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera Scipione filio et Athenaeo Eumenis regis fratre, per Thessaliam Delphos petit, inclu-

Cap. XXVII. Paullus] *Paulus* Cod. Frob. 1. 2. — ab Roma] *ab Romam* Cod. — et Agassas] *et gassas* Cod. — cum Marcio consuli] *cum Marcio consule* Cod. *cum Martio Cos.* Frob. 1. *cum Marcio Cos.* Frob. 2. *quum Marcio consuli* Drak. — petita] *petitam* Cod. — Aeginiensium] *Ageniensium* Cod. — famae] *fame* Cod. — urbem diripiendam] *hostiliter urbem diripiendam* Cod. Frob. 1. 2. Drak. — pertinacius] *pertinaci ut* Cod. — finitimae] *finitumae* Cod. — Auctumni] *Autumni* Cod. Frob. 1. 2. Drak. — ad circumeundam] Sic Cod. *circumeundam*, omisso *ad*, Frob. 1. 2. Drak. Bekk. — visendaque, quae] *visendamque*, omisso *quae*, Cod. — nobilitata fama maiora] *nobilita famā maioram*, vocabulo *famā* in fine versus posito, Cod. *nobilitata fama magis* Frob. 1. 2. Drak. — C. Sulpicio Gallo] *C. Sulpicius Galo* Cod. — haud] *aut* Cod. — Scipione] *Scipioni* Cod. — Athenaeo] *Atheneo* Cod. —

tum oraculum; ubi, sacrificio Apollini facto, inchoatas in vestibulo columnas, quibus impondituri statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinavit. Lebadiae quoque templum Iovis Trophonii adit. Ibi cum vidisset os specus, per quod oraculo utentes sciscitatum deos descendunt, sacrificio Iovi Hercynaeque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem ad spectaculum Euripi Euboeaeque, ante paeninsulae, nunc insulae, ponte continenti iunctae, descendit. A Chalcide Aulidem rate traiicit, trium milium spatio distantem, portum inclutum statione quondam mille navium Agamemnoniae classis, Dianaeque templo, ubi navibus cursum ad Troiam, filia victima aris admota, rex ille regum petiit. Inde Oropum Atticae ventum est, ubi pro deo vates antiquus colitur, templumque vetustum est, fontibus rivisque circa amoenum. Athenas inde, plenas quidem et ipsas vetustate famae, multa tamen visenda habentes, arcem, portus, muros Piraeeum urbi iungentes, navalia magnorum imperatorum, simulacra deorum hominumque omni genere et materiae et artium insignia.

per Thessaliam Delphos petit] *per Tessaliam Delpos petitur* Cod. — inclutum] *inclytum* Cod. Frob. 1. 2. *inclitum* Drak. Bekk. — impondituri] *inposituri* Cod. Drak. — fuerant] *potuerant* Cod. — Lebadiae] *Levadiae* Cod. — Trophonii] *Trophonis* Cod. Frob. 1. 2. — adit] Sic Cod. *adiit* Frob. 1. 2. Drak. Bekk. — Ibi cum] *ibi quum* Drak. *ubi cum* Bekk. — Hercynaeque] *Hercynnae quae* Cod. *Hercynnaeque* Frob. 1. 2. Drak. Bekk. — Chalcidem] *Calchidem* Cod. — Euripi Euboeaeque, ante paeninsulae, nunc insulae] *Euripi aevoque ante insulae* Cod. Frob. 1. 2. *Euripi * aevoque ante insulae* Drak. *Euripi Euboeaeque insulae* Bekk. — continenti] *convenienti* Cod. — descendit] *descenditur* Cod. — Chalcide] *Calchide* Cod. — Aulidem rate traiicit] *Aulidem erat traicit* Cod. *Aulidem traicit,* omisso *rate,* Frob. 1. 2. *Aulidem traiicit,* omisso *rate,* Drak. — milium] *millium* Cod. Drak. — inclutum] *inclytum* Cod. Frob. 1. 2. *inclitum* Drak. Bekk. — statione] *stationem* Cod. — Agamemnoniae] *Agamemnioniae*, syllabis *agā* in versus fine positis et litera *i* priore inducta, Cod. — Dianaeque templo] *Dianaeque templum* Cod. Frob. 1. 2. Drak. — filia victima aris admota] *filiam victimaris admonta*, litera *r* in *victimaris*, id est *victima aris*, perperam inducta, Cod. — rex ille regum petiit. Inde Oropum Atticae ventum est] *rex ille regem Atticae ventum est*, mediis omissis, Cod. — vates antiquus] *vates anticum* Cod. *vates Amphilochus* Frob. 1. 2. Drak. *vates Amphiaraus* Bekk. — et ipsas] *et ipse* Cod. — habentes] *habentis* Cod. *habenteis* Frob. 1. 2. — Piraeeum] *Phireum* Cod. *Pireum* Frob. 1. 2. — urbi iungentes] *urbem iungentis* Cod. *urbi iungenteis* Frob. 1. 2.

Cap. XXVIII. Sacrificio Minervae praesidi arcis in urbe facto profectus, Corinthum altero die pervenit. Urbs erat tunc praeclara ante excidium; arx quoque et Isthmus praebuere spectaculum: arx intra moenia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus: Isthmus duo maria, ab occasu et ortu solis finitima, artis faucibus dirimens. Sicyonem inde et Argos nobiles urbes adit; inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclutam Aesculapii nobili templo, quod quinque milibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quae remediorum salutarium aegri mercedem sacraverant deo. Inde Lacedaemonem adit, non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem, ac Pallantium; unde per Megalopolim Olympiam escendit; ubi et alia quidem spectanda visa, et, Iovem velut praesentem intuens, motus animo est. Itaque haud secus, quam si in Capitolio immolaturus esset, sacrificium amplius solito apparari iussit. Ita peragrata Graecia, ut nihil eorum, quae quisque Persei bello privatim aut publice sensisset, inquireret, ne cuius metu sollicitaret animos sociorum, Demetriadem cum revertitur, in itinere sordidata turba Aetolorum occurrit; mirantique et percunctanti, quid esset, defertur, quingentos quinquaginta

Cap. XXVIII. praesidi] *praesidio* Cod. — Corinthum] *Corynthum* Cod. — arx] *aryx* Cod. — Isthmus] *sthamus* Cod. — arx] *aryx* Cod. — intra moenia] *inter omnia* Cod. Frob. 1. 2. Drak. — scatens fontibus] *in scatensem fortibus* Cod. — Isthmus] *sthamus* Cod. — ab occasu] *occasu*, omisso *ab*, Cod. — Sicyonem] *Scyonem* Cod. — haud] *aut* Cod. — Epidaurum, sed inclutam Aesculapii nobili templo] *Epidaurum sed inclytum Epidaurum sed inclutum Aesculapi nobilita templo* Cod. *inclytam* Frob. 1. 2. *inclitam* Drak. Bekk. — milibus] *millibus* Frob. 2. Drak. — revulsorum] *revolsorum* Cod. — donis] *donum* Cod. — quae] *que* Cod. — Lacedaemonem adit] *Lacedemonem adid* Cod. — memorabilem, ac Pallantium] *memorabilem ac silentium* Cod. *memorabilem*, ceteris omissis, Frob. 1. 2. Drak. — escendit] Sic Cod. *ascendit* Frob. 1. 2. *adscendit* Drak. — visa, et] *et visa* Cod. — immolaturus esset] *inmolaturus esset* Drak. — apparari] *adparari* Drak. — peragrata] *persea grata*, syllaba *per* in versus fine posita, Cod. — ut] *aut* Cod. — quae] *que* — aut] *ac* Frob. 2. — publice] *publicae* Cod. — animos sociorum] *animo sociorum* Cod. — cum revertitur] *cum revertit* Cod. Frob. 1. 2. *quum revertit* Drak. — Aetolorum] *naetolorum* Cod. — occurrit] *obcurrit* Drak. — percunctanti] *percunctati* Cod. — quingentos quinqua-

principes ab Lycisco et Tisippo, circumsesso senatu per milites Romanos, missos ab A. Baebio praefecto praesidii, interfectos; alios in exsilium actos esse, bonaque eorum, qui interfecti essent, et exsulum possideri. Iussis, qui arguebantur, Amphipoli adesse, ipse, convento Cn. Octavio Demetriade, postquam fama accidit, traiecisse iam mare decem legatos, omnibus aliis omissis, Apolloniam ad eos pergit. Quo cum Perseus obviam Amphipoli nimis soluta custodia processisset, (id diei iter est) ipsum quidem benigne allocutus est: ceterum, postquam in castra ad Amphipolim venit, graviter increpuisse traditur C. Sulpicium: primum, quod Persea tam procul a se vagari per provinciam passus esset, deinde, quod adeo indulsisset militibus, ut nudare tegulis muros urbis ad tegenda hibernacula sua pateretur: referrique tegulas et refici tecta, sicut fuerant, iussit. Et Persea quidem cum maiore filio Philippo, traditos A. Postumio, in custodiam misit; filiam cum minore filio, a Samothrace accitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit.

ginta] *al* Cod. *DL.* Frob. 1. 2. — Lycisco] *Lyciisco* Cod. — ab A. Baebio praefecto praesidii] *a Baebio praesidi*, ceteris omissis, Cod. *a Bebio praeside* Frob. 1 2. *a Baebio praeside* Drak. *a Baebio praefecto praesidii* Bekk. — exsilium] *exilium* Cod. Frob. 1. 2. — exsulum] *exulum* Cod. Frob. 1. 2. — possideri] *possidere* Cod. Frob. 1. 2. Drak. Bekk. — Iussis, qui arguebantur] Sic Cod. *qui arguebant. Iussis* Frob. 1. 2. Drak. Bekk. — Amphipoli] *Ampipolim* Cod. *Amphipolim* Frob. 1. 2. Drak. — convento] *conventu* Cod. — cum] *quum* Drak. — Amphipoli] *Ampipolim* Cod. — nimis soluta custodia] *nimis solutis cuius custodia* Cod. — id diei iter est] *id die uter est* Cod. — allocutus est] *locutus est* Cod. *alloquutus est* Drak. — ceterum] *caeterum* Frob. 1. 2. — vagari] *vacari* Cod. — passus esset] *passus est* Cod. Frob. 1. 2. — militibus] *milites sibi* Cod. — referrique tegulas et refici tecta] *referrique tegulas et referri et tecta* Cod. *referrique tegulas et resarciri tecta* Frob. 1. 2. Drak. Bekk. — Et Persea quidem cum maiore filio] *et Persea quidem cum maiorem quidem filio* Cod. — cum minore filio] *cum maiorem filio* Cod. — Samothrace] *Samotrace* Cod. — accitos] *adcitos* Drak. — Amphipolim] *Ampipolim* Cod.

ADNOTATIO CRITICA.

Cap. XXVII. *Dum haec in Illyrico geruntur*] Haec verba, de quorum structura Heinrichium et Beierum ad Ciceronis Orationum Fragmenta inedita p. 25. sqq. ed. Beier. atque Walchium ad Tacit. Agr. cap. 41. p. 401. sq. conferas, admonent loci Liv. XLII, 50. in cod. Vindob. ita scripti: *dum integrae aput animum sum Persea debere.* Lacunae enim, qua ille deformatus est, supplementum a Drakenborchio propositum: *Dum integrae res sunt, statuere apud animum suum Persea debere*, ita corrigendum videtur, ut, quum oratio sit obliqua, cui Tacitus quidem Ann. VI,7. XIII, 15. Hist. III, 38. et alibi particulam *dum* indicativo iunctam interposuit, *sint* pro *sunt* scribas. Sic Liv. XLIV, 36. *dum in campo patenti hostem habeat*, et XLV, 11. *dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet*; quibus in locis *quum* pro *dum*, id quod Liv. X, 18. et XXI, 43. Gronovio auctore, atque Hirt. Bell. Afr. cap. 61. et 88. Oudendorpio suasore fecimus, ponendum esse, Drakenborchius temere suspicatus est.

et Agassas] Quum hic *et gassas* in codice legatur, atque paullo post *Agassas*, hoc ipsum etiam Liv. XLIV, 7. pro *Acassam*, quod codex offert, reponendum videtur. Librarium enim, qui hic in sequentibus propterea, quod *urbem* antecedit, *petitam* posuit, illic simili errore lapsum *Acassam urbem* pro *Agassas urbem* scripsisse suspicor. Vid. Drakenborch. ad Liv. VI, 3, 8. ubi permulta huius erroris exempla proferuntur.

Aeginiensium novum crimen erat] Doeringius temere, opinor, et orationem non satis apte cohaerere, et voculam *quod* post verbum *erat* excidisse statuit. Hic enim Livii oratio liberius procedit, quam infra cap. 28. *Urbs erat tunc praeclara ante excidium; arx quoque et Isthmus praebuere spectaculum: arx intra moenia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus: Isthmus duo maria, ab occasu et ortu solis finitima, artis faucibus dirimens*, et XLIV, 40. qui locus ex Gronovii emendatione ita scribitur: *Ac ne illo ipso quidem die, aut consule, aut rege (rege, quod nec fessos, ut pridie, ex via, neque trepidantes in acie instruenda et vixdum compositos adgressurus erat; consule, quod in novis castris non ligna, non pabulum convectum erat, ad quae petenda ex propinquis agris magna pars militum e castris exierat) neutro imperatorum volente, Fortuna, quae plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen.* Sed huic emendationi, ut de impeditiore verborum structura nihil dicam, illud adversatur, quod in cod. Vindob. primum *consuli aut regi quod*, deinde

consuli quod, denique *ne tot imperatorum volente*, scriptum reperitur. Quare hunc locum sublatis parentheseos signis, ex iis, quae cap. 39. praecedunt: *Pugnare enim et ipsi mihi placet*, ita supplendum: *aut consuli, aut regi pugnare placuit; regi, quod neo fessos* etc. ac, servata lectione *consuli, quod*, verba: *neutro imperatorum volente*, de quorum integritate alii viderint, cum Bekkero, qui et ipse, positis lacunae signis, codicem secutus est, ab antecedentibus separanda esse censeo. Quo iure autem, ut illuc revertar, Doeringius dicat: „nomini urbis addidit Livius praepositionem *ad*, „quia per urbem urbis incolas designavit,“ mihi non liquet. Quid enim? Num Livius, omissa praepositione, *Aeginium et Agassas diripiendas mittit*, scribere potuisset? Haec alius concoquat, non ego.

Aeniorum] Quemadmodum hic pro *Aeniorum*, quod cum Bekkero retinui, *Aeneatum* scribendum esse, Drakenborchius non temere coniecit, ita hoc ipsum nomen Liv. XL, 4. pro *Aenianum* de Sigonii sententia ponendum esse, Gronovius ad Liv. XXVIII, 5, 15. optime docuit. Idem tamen ibidem, ab Horrione, credo, in errorem inductus, Liv. XXXIII, 3. ubi cod. Bamb. pro *Acnianum*, id quod Goellerus praetermisit, *Acniauum* exhibet, in hoc ipso codice *Aencatium* reperiri, falso perhibet.

urbem diripiendam] Vocabulum *hostiliter*, quod Bekkero adstipulante delevimus, a librario ex praecedentibus *hostiliter saevierant* male repetitum esse, verborum collocatio indicat. Per se enim hoc adverbium verbo *diripere* aliisque similibus addi posse, apparet ex his locis: Liv. XXIX, 9. *hostiliter lacerant*, XXXVI, 20. *metu, ne hostiliter diriperentur*, XXXVII, 17. *agrum circa Romani hostiliter depopulati sunt*, cap. 21. *quum hostiliter diripuissent*, et XLIV, 42. *quum hostiliter e scaphis caederentur*. Librarium autem, qui cod. Vindob. exaravit, saepius ita peccasse, in Vanno critica, quae Seebodii et Iahnii *Archiv für Philologie und Pädagogik*, Vol. I. Fasc. I. inclusa est, p. 64. not. 24. idoneis probavimus exemplis, quibus adde ex capite sequenti nomen *Epidaurum* et particulam *quidem*, atque Liv. XLI, 28. ubi *alia data munera gladiatorum* pro *alia data*, ut XLII, 13. *ad vos fecistis* pro *ad vos*, in eodem codice legitur. Ceterum hic locus certissime probat, eiusdem libri cap. 20. lectionem vulgatam: *gladiatorum munus*, licet Liv. XXVIII, 21. et XXXI, 50. *munus gladiatorium* reperiatur, a Drakenborchio temere sollicitatam esse; praesertim quum Tacitus etiam, id quod Thom. Wopkensius in Actt. litt. societatis Rheno-Traiect. Tom. IV. p. 397. docuit, saepius *spectaculum gladiatorum* posuerit.

Auctumni fere tempus erat] De scriptura nominis *auctumnus* vid. nostram Comm. de Sallustii Hist. Lib. III. Fragmentis, Part. II. p. 6. et 45. Pro *fere*, quod sequitur, Heusingerus malit *ferme*, quum Livius pergat: *cuius temporis initio.* Utrumque eodem redire videtur.

ad circumeundam Graeciam] Praepositionem *ad*, quam a Grynaeo pariter ac Bekkero et nobismet ipsis olim neglectam esse miror ac paene indignor, nunc ex codice addidi, ut haec verba, ab omnibus omnino editoribus et interpretibus cum *ut statuit*, quod *circumire* ac *visere* potius, quam *circumeundam* ac *visenda* requirit, perperam coniuncta, ad remotius vocabulum *profectus* ex vulgari Latinorum consuetudine referri possent. Atque Wilkius etiam, quum praepositionem desideraret, p. 4. haec scripsit: „Paullus autem, ut ad hunc redeam, cum reipublicae negotiis quam „debebat operam dedisset, superante tempore, *ad circumeundam Graeciam*, *visendaque*, „*quae nobilitata fama magis auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur*, animum „intendit." Eadem praepositio, quae Liv. XXXIII, 5. effecit, ut in cod. Bamb. pro *ad Thebas* non *a thebas*, ut Goellerus falso perhibet, sed *ad athebas* poneretur, huius codicis auctoritate, id quod Goellerus non vidit, Bekkerus autem videre noluit, Livio restituenda est eiusdem libri cap. 48. ubi pro *id quod serum erat*, quae ferri nequeunt, nunc scribas: *ad id quod serum erat.* De formula Liviana *ad id quod*, id est *praeterquam quod*, vid. Walchii Emendatt. Liv. p. 166. sq. Praeterea sub ipsum huius capitis initium pro *quo in loco iussi erant*, quod, quum antea *quo in loco fuerunt*, vel *fuerant*, editum esset, in ed. Vascos. a. 1543. primum comparuit, ex cod. Bamb. reponas: *quo in loco iusserat*, et paullo post vulgato: *Quantum res et tempus patiebantur, apparatae celebrataeque eius diei epulae sunt*, ex eodem libro praestantissimo substituas: *Quanto res et tempus patiebatur apparatu celebratae eius diei epulae sunt.* Goellerus enim, de cuius fide Bekkerus non dubitabat, codici lectiones *iussi erant* et *celebrataque* falso tribuit.

visendaque, quae] Pronomen *quae*, a praecedenti *que* interceptum, Grynaeus optime restituit. Librarios enim in utramque partem peccasse, et modo hoc, modo illud omisisse, docuit Drakenborch. ad Liv. XXIX, 6, 8. et XLI, 2, 11. ubi, quum in cod. Vindob., cuius quaternio, quem vocant, primus sive potius secundus nunc desideratur, seu *direptisque ibi fuerunt*, seu *direptis quae ibi fuerunt*, repeririretur, ex certissima Drakenborchii emendatione scripsi: *direptisque, quae ibi fuerunt*, quod Bekkero displicuisse miror. Similiter Liv. XXXIII, 8. in verbis: *rerumque, quae ferri agique possent*, non solum ed. Rom., sed etiam, id quod Goellerum fugit, ipse cod. Bamb., in quo cap. 32. non *Macedonibusque quae*, ut Goellerus ait, sed *Macedonibus quae* legitur, omittit copulam ab editore nescio quo adiectam, atque Liv. XLV, 25. pro *quae agerentur, sciret*, quod in cod. Vindob. reperitur, sive cum Sigonio *quae, quae agerentur, sciret*, sive cum Gronovio *qui, quae agerentur, scirent*, scribendum videtur. Praeterea cf. quae ad Iul. Caes. Bell. Civ. I, 35. adnotavimus.

quae nobilitata fama maiora auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur] Vul-

gatum: *quae nobilitata fama magis auribus accepta sunt,* etc. Crevierius ita interpretatur: „quae vulgo plèrique auribus accipere satis habent, nec curant etiam nos„cere oculis;“ Doeringius autem hunc in modum: „quae per famam celebrata auri„bus magis accipi solent, quam ipsis oculis perlustrantur; ad aures magis, quam ad „oculos accidunt.“ Neutrum placet. Quae coniectura ductus facili et certa, quam Bekkerus quoque tacite probavit, vulgato substitui, non solum ad codicis scripturam propius accedunt, sed etiam, quum fama res memorabiles ita in maius augere soleat, ut auribus accepta maiora esse videantur, quam oculis noscuntur, aptiorem huic loco sententiam continent. Sicuti autem hic syllaba *ta,* cap. 28. vocabulis *nobili* et *templo* male interposita, in verbis *nobilitata fama,* librarii negligentia intercidit, ita similiter Liv. XXXIII, 27. a vocabulo *restitutis* interceptum est pronomen *iis,* cod. Bamb. auctoritate, a Goellero non minus, quam a Bekkero neglecta, Livio haud dubie restituendum; idemque dicendum de vocula *set* sive *sed,* quam cap. 33. post verbum *praestet* excidisse Iacobsius in Notis ad hunc librum p. 399. suspicatus est. Nam viri acutissimi coniecturam per se admodum probabilem depravata cod. Bamb. scriptura: *aut terris continentibus iunctis praeesset sed maria traiciat,* a Goellero parum diligenter enotata, certissime confirmat. Ceterum haud scio an ex hoc lacunarum fonte uberrimo fluxerit vitium, quo laborare videtur locus Plinii Epp. VI, 16. ita quidem, ut mea fert opinio, scribendus: *Egrediebatur domo, accipit codicillos Rectinae Bassi: imminenti periculo exterrita, (nam villa eius Vesuvio subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga) ut se tanto discrimini eriperet, orabat.* Quam facile enim, ut cetera omittam, verba: *uilla cius uesubio subiacebat* in *uilla eius subiacebat* abire potuerint, quum nomen montis et *Vesubius* et *Vesuvius* scribatur, nemo non videt; praesertim quum probabile sit, hic quoque *ei'* pro *eius* positum fuisse, ut Liv. XXXIII, 4. ubi in cod. Bamb. non vulgatum *et regni,* quod a Bartholino profectum Goellerus codici falso tribuit, sed *ei' regni,* id est *eius regni,* rectius utique legitur.

ut statuit] Ne offendaris hac formula, quam Pithoeus in *sibi statuit* temere mutaturus erat, mediae orationi interposita, compares velim Liv. XXXIII, 41. *ad restituendam, ut instituerat, Lysimachiam,* ubi eodem modo, quo hic *Graeciam circumire* etc. cogitatione addendum est, *Lysimachiam restituere* supplendum esse vides. Quam negligenter autem Goellerus cod. Bamb. tractaverit, ex hoc quoque capite apparet, ubi, ut leviora taceam, primum *p̄veniret,* id est *praeveniret, in Aegyptum* pro *perveniret in Aegyptum,* tum *q̊a,* id est *quia, ad fidem faciendam* pro *qui ad fidem faciendam,* deinde *paulisper seditionē,* id est *seditionem,* pro *paullisper seditione,* tum *inde profectum eum captaque vocant* pro *profectum eum ad capita, quae vocant,* denique *adorta* pro *oborta,* de quo coll. Liv. XXI, 11. XXXIX, 46. et

XL. 2. non nihil ambigas, in libro manu scripto reperitur. Haec omnia Goellerus sive prorsus omisit, sive parum accurate enotavit.

Delphos] Librarius in huius nominis scriptura sibi non constitit, adeoque Liv. XLI, 23. *Delphos* et *Delpis* posuit. Ceterum hoc ipso loco, quum in cod. Vindob. non *interfluit*, ut Bekkerus falso perhibet, sed *interfuit* legatur, pro *interluit*, quod a Grynaeo substitutum Bekkerus servavit, *interfluit* scripsi, coll. Liv. XXVII, 29. *fretum, quod Naupactum et Patras interfluit.* Hoc enim orationi pedestri magis convenit, quam *interluit*, quod apud Virgil. Aen. III, 418. et Claudian. de Raptu Proserp. I, 143. reperitur. Praeterea cf. Liv. XXXIII, 15. et 18. Plin. Hist. Nat. III, 5. et IV, 12. atque Curt. III, 1. et IV, 3. Quemadmodum autem hic *interfluit*, una literula extrita, in *interfuit* mutatum est, ita Liv. XXXIII, 32. pro *in mediam arenam*, id quod Goellerus itidem omisit, in cod. Bamb. legitur: *in mediam aream*, sc. *stadii*, quod nescio an illi praeferendum sit, quum *in arenam procedere* athletae et gladiatori, *in aream procedere* praeconi et tubicini accommodatius esse videatur. Quae Polyb. XVIII, 29. et Plutarch. Flamin. cap. 10. narrantur, ad rem dirimendam nihil quidquam momenti faciunt.

fuerant] Hoc Grynaeus codicis lectioni *potuerant*, cuius origo a praecedenti vocabulo *imposituri*, ad quod librarium respexisse puto, repetenda videtur, recte substituit. Similiter Liv. XLIV, 31. in cod. Vindob. scriptum est: *ad quod bellica potuerat*, quod, quum *ad* ex antecedentibus temere repetitum esse videatur, neque cum Grynaeo in *id quod belli caput fuerat*, neque cum Drakenborchio et Bekkero in *id quod belli caput erat*, sed in *quod belli caput erat*, mutandum esse censui; praesertim quum *id quod* hic non magis ferri possit, quam Liv. VI, 17. et XXXIII, 48. ex vulgata quidem lectione, quam illo loco, Baumgarten-Crusium secutus, iam dudum emendavi, hoc autem cod. Bamb. auctoritate emendandam esse, supra p. 12. docui. Vid. Drakenborch. ad Liv. VI, 17, 6. et XXIII, 5, 9. atque Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. II. p. 23.

templum Iovis Trophonii adit] Quamquam librarius, cui non tam *Trophonis*, quam *Trophonii* scribendum fuisse, iam Sigonius monuit, alibi *adit*, *petit* et *redit* pro *adiit, petiit* et *rediit* perperam posuit, hic tamen, quum praesentia historica praecedant et sequantur, pro *adiit*, quod a Grynaeo datum omnes editores servarunt, nunc *adit* ex codice reponendum esse putavi. Sic infra quoque cap. 28. Livius scripsit: *Sicyonem inde et Argos nobiles urbes adit*, et paullo post: *Inde Lacedaemonem adit.*

Ibi cum vidisset] Bekkerus me secutus edidit: *ubi cum vidisset*, quod Kopitarius ex cod. Vindob. enotaverat. Idem tamen postea, quum de huius loci scriptura eum denuo consuluissem, per literas mihi significavit, non *ubi* in codice exstare, sed *ibi*,

quod revocavi. Eodem iure Bekkerus vicissim Liv. XXXIII, 10. cod. Bamb. lectionem: *ibi modestius mendacium est*, quum Ant. Quaerengius in ed. Rom. margine *ibi* in *ubi* temere mutasset, restituit et haec verba parenthesi inclusit. Lachmannus enim, qui in Comm. II. de fontibus Historiarum T. Livii. Gottingae, 1828. p. 25. *idque* pro *ibi* ponendum esse censuit, non audiendus videtur.

Hercynaeque] Ita vel invito codice, quem Bekkerus cum ceteris editoribus sequitur, scripsi nomen deae, quae a Graecis, ut videtur, non Ἕρκυννα sed Ἕρκυνα appellata est. Cf. Pausan. IX, 39. Philostrat. in vita Apollon. Tyan. VIII, 19. Lycophr. Cassandr. v. 153. et quae Drakenborchius ad h. l. adnotavit.

ad spectaculum Euripi — ponte continenti iunctae] Quum in codice repertum esset: *ad spectaculum Euripi aevoque ante insulae*, Gronovius post Florebellum, qui *Euboeaeque* in *aevoque* abiisse vidit, scribendum censuit: *Euripi Euboeaeque insulae*, quod Bekkerus cum aliis et memet ipso recepit. Nunc autem, ne vocabulum *ante* vel omitteretur, vel ex Heusingeri sententia coll. Liv. XXVIII, 7. in *arte* mutaretur, totum locum ita supplevi: *ad spectaculum Euripi Euboeaeque, ante paeninsulae, nunc insulae ponte continenti iunctae.* Plinius enim Hist. Nat. IV, 12. *Euboea*, inquit, *et ipsa avulsa Boeotiae, tam modico interfluente Euripo, ut ponte iungatur.* Similiter Liv. XXXIII, 17. *Leucadia nunc insula est, vadoso freto, quod perfossum manu est, ab Acarnania divisa; tum paeninsula erat, occidentis regione artis faucibus cohaerens Acarnaniae.* Ita enim hic locus, cum Liv. XXXII, 21. *Paeninsula est Peloponnesus, angustis Isthmi faucibus continenti adhaerens* etc. comparandus, in quo verbum *est*, quod paucis interiectis recurrit, nemini displicebit, qui Drakenborch. ad Liv. XXXV, 1, 12. et cap. 14, 4. contulerit, ut Drakenborchius eum scribi maluit, in cod. Bamb. legitur, quem Goellerus hic quoque non diligenter excussit. Ex eodem codice autem, ut aliae quaedam lacunae, minores quidem illae, neque tamen a Goellero praetermittendae, nunc demum expleantur, Liv. XXXIII, 23. *aeris tulit*, vocabulo *aeris*, quod ex Pighii coniectura additum iam Hotomannus illuc translaturus erat, in sequentibus omisso, pro *tulit*, cap. 24. *et ab T. Quinctio* pro *a T. Quinctio*, cap. 27. *C. Sempronium* pro *Sempronium*, cap. 28. *eo ipso timore rem ad iudicium protraxit* pro *eo ipso timore ad iudicium protraxit*, de quo loco in Vanno critica p. 54. sq. exposuimus, cap. 31. *ac maiestatem* pro *maiestatem*, cap. 36. *M'. Acilius Glabrio praetor* pro *M'. Acilius praetor*, cap. 37. *Marcellus consul* pro *Marcellus*, cap. 46. *et principum* pro *principum*, atque cap. 49. *ibi profectum iam regem in Asiam quum audisset* pro *ibi profectum iam regem quum audisset*, reponendum est. Hoc enim loco, et Liv. XXXIV, 16. quoque ex nostra emendatione, quam cod. Bamb. auctoritate confirmatam esse, in Vanno critica

p. 59. docuimus, *et ad devios montanos, profectum etiam, falso perlatum est,* absolute dicatur; verba *in Asiam*, quum Syria Asiae minori sive propriae opponatur, Livio haud dubie sunt restituenda; dummodo pro *in Asia*, quod in codice legitur, scribatur *in Asiā*, addita lineola literae *m* vicaria, quae etiam cap. 3. desiderari videtur in verbis: *exercendo quotidie milite*, pro quibus malim: *exercendo quotidie militem.* Sic Livium, cui XXXII, 28. pro vulgato: *quaerendo regem et exercitum*, quum in cod. Bamb. non *quaerendo rege et exercitu*, ut Goellerus ait, sed *quaerendo rege et exercitū* reperiatur, atque librarius lineolam pro litera *m* poni solitam in vocabulo *rege* omisisse videatur, lectionem a Goellero confictam cum Bekkero obtrudere nolim, saepissime loqui docuit Bauerus in indice ad Liviana Excerpta s. *Gerundium pro Participio.* Haec igitur certa sunt atque explorata. Illud autem ambigitur, utrum cap. 28. ubi pronomen *is*, in ed. Mog. recte omissum et ab editore nescio quo temere insertum, in cod. Bamb. reperiri, Goellerus falso perhibet, *ut servum conscium tolleret* pro *servum conscium tolleret*, cap. 42. *et M. Porcius Cato* pro *M. Porcius Cato*, cap. 43. *ut scriberet permissum*, quod Bekkerus Goellerum secutus, vocula *ut* omissa, in orationis contextum recepit, pro *conscribere permissum*, de quo Gronov. et Drakenborch. ad cap. 45, 3. velim conferas, atque cap. 44. *et nisi avertisset* pro *nisi avertisset* scribendum, an vulgatum retinendum sit. Alia eiusmodi supplementa supra dedimus, alia infra dabimus.

Aulidem rate traiicit] Haud me poenitet coniecturae, a Bekkero quoque tacite probatae, qua ductus vocabulum *rate* iam dudum inserui. Fac enim, olim *Aulidē rate traicit* scriptum fuisse, et intelliges, qui factum sit, ut hoc abiret in *Aulidem erat traicit*, quod in cod. Vindob. reperitur. Sic Liv. XXI, 56. de Romanis: *quum praesidium castrorum, et quod reliquum ex magna parte militum erat, ratibus Trebiam traiicerent*, et Iustin. II, 13. de Xerxe: *Ubi quum solutum pontem hibernis tempestatibus offendisset, piscatoria scapha trepidus traiecit.* Neque emendationi nostrae obstare videntur ea, quae Liv. XXVIII, 6. de reciprocis Euripi motibus leguntur. Vid. Tzschuck. ad Pomp. Mel. II, 7, 9. Vol. III. Part. II. p. 686. sqq. Librarios autem temeraria syllabarum et literarum distractione multos veterum scriptorum locos corrupisse, et satis constat, et ex duobus, quae subiungere placet, exemplis clarius etiam apparebit. Nam Liv. XXXIII, 7. pro *et iam iuga montium detexerat nebula*, quod Goellerus non codici unico, sed Bartholino tribuere debebat, in cod. Bamb. reperitur: *et iam iuga montium dexter erat nebula.* Olim quidem in Epist. ad Goeller. p. 443. cum Dukero de vulgata huius loci scriptura dubitabam, maioremque postea mihi dubitationem fecit locus Liv. XXXVIII, 21. ubi de Gallis: *Detegebat vulnera eorum, quod nudi pugnant;* ex quo colligas, hic quoque *di-*

lapsa, disiecta, dispulsa, vel simile quid desiderari. Nunc in Bartholini emendatione nihil desidero. Livius enim, id quod Goellerus me per literas praeclare admonuit, poetarum morem secutus rem ipsam pro rei defectu et absentia posuisse videtur, ut Horat. Carmm. III, 6, 41. sqq. Vid. Iacobsii Notas in hunc librum p. 388. sq. et Lobeckium ad Soph. Aiac. v. 705. p. 328. ubi haec proferuntur ex Valer. Flacc. I, 433. *At tibi collectas solvit iam fibula vestes,* sc. *exempta.* Eiusdem libri cap. 15. de Ant. Quaerengii sententia vulgo ita ediderunt: *altera clipeati, dein aliarum gentium exercitus robur erat.* Iacobsius, ut vanas Crevierii et Heusingeri coniecturas omittam, locum mutilum esse ratus, p. 390. haec ita scribi debere et distingui censet: *dein aliarum gentium: id exercitus robur erat.* Drakenborchius autem, quum in codice, id quod Goellerus p. 93. perperam negavit, *exercitibus* sive potius *exercitib;* legatur, atque vocabula *alia* et *illa* a librariis saepe permutentur, auctor est, ut scribamus: *altera clipeati, quod in illarum gentium exercitibus robur erat,* pro quo malim: *altera clipeati: id in illarum gentium exercitibus robur erat.* Hoc enim et ad cod. Bamb. scripturam propius accedit, et confirmatur locis simillimis Liv. XXVII, 14. *et id roboris in omni exercitu erat,* et XXXIX, 30. *id robur toto exercitu erat,* ubi vide, quae Gronovius et Drakenborchius adnotarunt. In sequentibus autem Goelleri p. 19. *instituit aciem* pro *instruit aciem,* quod idem p. 93. recte servavit, codici tribuentis negligentia mihi pariter ac Bekkero, qui cap. 33. pro *Asiae urbes,* itidem a Goellero deceptus, *Asiae civitates* scripsit, facile imposuit, quum *instrui* paullo post sequatur, et *aciem instituere,* quod in Livio frustra quaesiveris, apud Iul. Caes. Bell. Civ. III, 93. reperiatur.

milium] Non solum hoc loco *millium* pro *milium* in cod. Vindob. legitur, sed etiam Liv. XLIII, 22. librarius *millium* pro *militum,* atque XLII, 19. contrario errore lapsus *munera militum* pro *munera binum millium* posuit. Alibi tamen constanter *mille* quidem, ut paullo post, sed *milia, milium* et *milibus* in codice scriptum est. Vid. nostras Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 106. p. 419. Ceterum res admonet loci Liv. XLI, 10. ubi non tam cum Grynaeo *Quod cum milites,* quam cum Drakenborchio *Quod quum illi tum* scribendum esse, apparet ex corrupta cod. Vindob. lectione: *quod cum militum.*

Dianaeque templo] Vulgatum: *Dianaeque templum,* quod in codice reperitur, Drakenborchius ita explicat: „*traiicit Aulidem Dianaeque templum,* pro *et ad Dianae* „*templum;*" Doeringius autem hoc modo: „*Dianaeque templum,* repete *traiecit,* [imo „*traiicit*] et inde elice *adit.*" Quae quam contorta sint aique impedita, nemo non intelligit. Propterea iam dudum audacter scripsi: *Dianaeque templo,* sc. *inclutum,*

quod Bekkerus quoque tacite probavit. Sic infra cap. 28. *inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclutum Aesculapii nobili templo.*

filia victima aris admota] Non semper, ut hoc loco et alibi, verbum *admovere* de victima poni, docet Liv. XXI, 1. ubi Hannibal ab Hamilcare patre *altaribus admotus* et tactis sacris iureiurando adactus esse dicitur. Praeterea in transcursu addere liceat, Liv. XXXIII, 18. pro *castra ad ipsa Tendeba movit,* in cod. Bamb. non *castra ad ipsa Tenpe movit,* ut Goellerus perhibet, sed *castra ad ipsa Tenpe admovet* scriptum reperiri. Haec autem lectio, licet Liv. IX, 24. contrarium *castra removere,* atque XXXIV, 6. et alibi *exercitum admovere* legatur, ex depravata cod. Mog. lectione: *castra ad ipsa tendebat movit,* quam Freinshemius correxit, suborta videtur.

petiit. Inde Oropum] Haec Grynaeus, ut codicis lacunam expleret, probabiliter admodum interposuit. Doeringius autem verbis: *ubi navibus cursum ad Troiam — rex ille regum petiit,* haec subiecit: „precationibus a Diana petiit; sed rectius, puto, „ad usum loquendi explices: unde classe sua cursum ad Troiam ingressus est; nam „*cursum petere* dicitur, ut *iter, viam petere;* vid. Drakenborch. supra ad XLIV, 2, 5." ubi haec leguntur: *quod iter petiturus esset, ignarus.* Recte quidem. Tum vero non *ubi,* sed *unde* scribendum fuisse, id quidem, ut Livius ait, apparet etiam caeco. Neque minus apparet, Liv. XXXIII, 8. Bartholino, quum in cod. Bamb. *propere cursu* reperisset, non tam *propero cursu,* quam *prope cursu* scribendum fuisse. Sic Liv. XXXI, 24. *cursu prope Chalcidem contendit,* ad quem locum Drakenborchius docuit, Livium XXXIII, 18. et 33. eodem modo locutum esse, atque librarios vocabula *prope et propere,* quorum illud Crevierius Liv. XXV, 15. huic recte substituit, saepissime permutasse, ad Liv. XXXIX, 31, 4. multis exemplis probavit.

ubi pro deo vates antiquus colitur] De hoc loco, in quo viri docti recte offenderunt, iam in Comm. de locis Gellii Noctt. Att. Lib. VI. cap. 1. et Lactantii Epit. Inst. Div. cap. 29. Misenae, 1827. p. 19. haec scripsi: „Quum in cod. Vindob. „pro nomine *Amphilochus,* quod Grynaeus Livio obtrusit, *anticum* legatur, rectius „edidi: *ubi pro deo vates antiquus colitur*; quod Baumgarten-Crusius non ita corrumpere debebat, ut utraque lectione coniuncta scriberet: *ubi pro deo vates antiquus Amphilochus colitur.*" Hoc sane mirari subit. Multo magis autem miror, Bekkerum me non esse secutum, et invito codice edidisse: *ubi pro deo vates Amphiaraus colitur,* quod aeque ac vulgatum nullo pacto admittendum est. Neque enim opus erat addere nomen vatis ex fabulis notum, et ab Ovidio quoque Metamorph. IX, 406. sq. in oraculo Themidis omissum. Diversa est ratio loci Liv. XXI, 38. *sed ab eo,* pro quo forsitan coll. Liv. VIII, 6. ex Cuperi et Leibnitii coniectura *a deo* scribendum est, *quem in summo sacratum vertice Penninum*

montani appellant. Ibi enim Livius iugi Alpini nomen explicaturus erat. Sicuti autem hic veterum orthographia, de qua praeter Liv. XLIII, 13. ubi pariter *anticus* pro *antiquus* in cod. Vindob. scriptum est, vid. interpretes ad Ciceronis Orationum Fragmenta inedita p. 13. ed. Beier. Grynaeum et Bekkerum in errorem induxit, ita eadem effecit, ut Liv. XXXIII, 23. pro *exemptos*, quod cod. Bamb. offert, in cod. Mog. *exceptos*, et cap. 29. pro *intercepti*, quod cod. Mog. offerebat, in cod. Bamb. *interempti* scriberetur. Atque illud quidem coll. Liv. XXXIV, 52. et XXXVII, 56. haud dubie praeferendum, totusque locus ex codice, in quo non vulgatum *se esse*, ut Goellerus perhibet, sed *sese* legitur, ita emendandus videtur: *gratias agentes commemorantesque, obsidione sese ab eo liberatos, plerique etiam*, sc. *commemorantes, quum apud hostes essent, servitute exemptos;* hoc autem, quod a Goellero praetermissum esse, ad Sallustii Hist. Lib. III. Fragmenta ex cod. Vat. ab Ang. Maio edita p. 37. monui, non praetulerim vulgato, quod et huic loco magis accommodatum est, et optime respondet praecedentibus: *alios in hospitiis, alios vagos per hiberna milites, ad varios commeantes usus, excipiebant.* Accedit locus maxime geminus Liv. XXIX, 9. *tum ipsum, ab suis interceptum et seclusum, hostiliter lacerant, et prope exsanguem, naso auribusque mutilatis, relinquunt.*

fontibus rivisque circa amoenum] Non erat, opinor, cur Ant. Perizonius *amoenis* scribendum esse coniiceret. Etenim Iustin. XXXVIII, 7. Asiae coelo nullum *urbium multitudine amoenius* esse dicitur, et Quinctil. Instit. Orat. XII, 10, 60. medius dicendi modus *egressionibus amoenus* vocatur.

navalia magnorum imperatorum] Crevierius, vocem *monumenta*, vel similem, hic excidisse ratus, scribere et distinguere maluit: *navalia, magnorum imperatorum monumenta, simulacra deorum hominumque.* Quod refutaturus Doeringius recte quidem verba: *navalia magnorum imperatorum*, ita explicavit: „navalia, ubi magni imperatores naves exstruendas curarunt;“ sed perquam inepte et ridicule addidit: „nec apparet, quae fuerint *monumenta navalia.*“ De his enim Crevierius ne somniaverat quidem. Rectius lectores ad praecedentia remisisset, ubi Livius similiter Aulidem appellavit *portum inclutum statione quondam mille navium Agamemnoniae classis.* Paullo ante non *Pireum*, sed *Piraeeum* scribendum esse, iam Sigonius vidit.

et materiae et artium] Dukerus haec adnotavit: „Liv. XXV, 40. *Graecarumque* „*artium opera*, de signis ac tabulis pictis. Credo tamen, quum de his rebus sermo „est, saepius *materiam et artem,* quam *materiam et artes,* dici.“ Nihil equidem mutaverim; quamvis Livius ipse in Lib. XCI. Fragmento scripserit: *neque materia artificibus, praeparatis ante omnibus enixo civitatium studio, nec suo quisque operi artifex deerat.*

Cap. XXVIII. *Sacrificio Minervae praesidi arcis in urbe facto*] Similiter supra cap. 27. *sacrificio Apollini facto*, et *sacrificio Iovi Hercynaeque facto*: idemque Liv. XLII, 51. legitur ex nostra emendatione: *sacrificio regaliter Minervae, quam vocant Alcidemon, facto*. Nam in cod. Vindob. *Alcidem confacto* reperitur pro *Alcidem confecto*, quod Grynaeus edidit. Bekkerus autem me secutus integram huius emendationis gloriolam Turnebo tribuit, qui nihil nisi hoc adnotavit: „Animo incessit meo libido *Alcidemon* scribendi;“ ideoque vocabulum *confecto*, quod hic, licet Liv. XLIV, 19. *sacrificio rite perfecto*, et cap. 37. *sacrificio rite perpetrato* legatur, simplici *facto* cedat necesse est, non mutandum esse censuit. Eodem fere modo in hoc verbo peccatum est Liv. XXXIII, 44. ubi, quum pro *iussu fecere* in cod. Bamb. non *iussit fecere*, ut Goellerus perhibet, sed *iussit facere* reperiatur, scribere malim: *ver sacrum ex decreto pontificum iussi facere*, id est *facere iussi sunt*. Paullo post haud cunctanter ex eodem codice reponendum: *non minorem belli molem instare ab Antiocho docuerunt*, pro vulgato et parum apto *restare*, quod Goellerus libro manu scripto falso tribuit. Sic Liv. V, 37. *Quum tanta moles mali instaret*. Sed cap. 31. ubi in cod. Bamb. pro *tractabantur*, id quod Goellerus praetermisit, *agitabantur* legitur, quum hoc illius interpretamentum esse videatur, vulgatum retinendum censeo. Utrumque tamen recte dici, Drakenborch. ad Liv. III, 49, 6. et XXXV, 32, 13. docuit. Ceterum sub eiusdem capitis finem non *accipi*, ut Goellerus perhibet, in codice reperitur, sed *accipere*, quod illi non praetulerim. Livius enim orationem consulto variasse videtur.

Isthmus] Hoc nomen non solum hic et paullo post in codice ita depravatum est, ut librarius *sthamus* poneret, sed etiam Liv. XLII, 16. in eodem codice non minus corrupte *per 'sthmi iugum* scriptum reperitur. Sic olim Liv. XXXIII, 32. et 34. ex cod. Mog. *Nemeorum* et *ista* edebatur, quibus nunc ex cod. Bamb. *Isthmiorum* et *Isthmia* substituimus.

intra moenia] Vulgatum: *inter omnia*, quod codex offert, Doeringius pessime interpretatur ita, ut, rarum sane ellipseos genus commentus, vocabulum *oppida* supplendum esse censeat; quasi Livius hoc sibi velit, Acrocorinthum inter omnia Graeciae oppida in immanem altitudinem fuisse editam. Ita Livius non desipuit. Praestiterit saltem *inter omnia* explicare per *inter omnes ceteras Corinthi partes*. Malui tamen, licet Polybius quoque in fragmento, quod supra p. 4. not. 4. protuli, commemoraverit *arcis opportunitatem, tam ad loca, quae intra Isthmum, quam ad ea, quae extra sita sunt*, coll. Strab. VIII, 4. et 6. ex Gronovii emendatione, a Crevierio, Bekkero aliisque probata, *intra moenia* scribere. Librarios autem non solum *inter* et *intra*, sed etiam *in* et *inter* permutasse, satis constat. Vid. Drakenborch. ad Liv. V, 27, 2. et XXXVIII, 57, 6. Sic Liv. XXXIII, 36. in cod. Bamb. *castra int̃*,

id est *inter, tumulos quosdam ponentem* pro *in tumulo quodam ponentem*, quod, quum literarum *n* et *t* concursus errorem praebuisse videatur, sollicitare nolim, et XXXVI, 17. in eodem codice *in duo maria* pro *inter duo maria* scriptum est. Neutrum locum ea, qua par erat, diligentia inspexit Goellerus, qui altero *in tumulos quosdam* codici tribuit, altero vocabulum *inter* a librario omissum esse dixit.

scatens fontibus] Miro sane modo hic peccavit librarius, qui, quum praecedentia: *in immanem altitudinem*, oculis eius obversarentur, *in scatensem fortibus* scripsit. Sed multo foedius monstrum, iis addendum, quae in Comm. de Sallustii Hist. Lib. III. Fragmentis Part. II. p. 31. sqq. ex cod. Vindob. protraxi, Liv. XLII, 19. latet, ubi pro: *Et Thracum legatis, apud se disceptantibus, et societatem amicitiamque petentibus*, quod Grynaeus edidit, in eodem codice: *et re cum legatis se discepnatisque et satis societatem* etc. reperitur. Hoc alius iugulet.

ab occasu et ortu solis finitima] Quum simplices ablativi *occasu et ortu solis* vix aut ne vix quidem ferri possint, Grynaeus praepositionem *ab* recte addidisse videtur. Similiter in cod. Bamb. Liv. XXXIII, 6. *Eretriam*, quod Goellerus p. 83. temere defendit, pro *ad Eretriam*, quod Ant. Quaerengius substituit, cap. 17. *urbem* pro *in urbem*, quod Goellerus codici falso tribuit, et cap. 18. *alterum* pro *ad alterum*, quod Goellerus itidem codici tribuit, perperam est scriptum. Contra cap. 10. pro *novitate rei*, quum *novitatē rei*, lineola illa, ut alibi, veluti Liv. XXXIII, 41. de quo loco supra p. 13. dixi, ita hic quoque temere superimposita, sed cap. 28. ubi *quum scirent ipsi nihil, opinione omnium pro indicio usi*, scribendum esse, in Epist. ad Goeller. p. 452. docui, a librario, id quod Goellerus non vidit, in vocabulo *opinione* recte omissa, in codice exstet, et idem ablativi usus Liv. II, 10. et III, 38. atque Ovid. Metamorph. II, 31. reperiatur, neque *per novitatem rei*, quod ipse olim reposui, neque *propter novitatem rei*, quod Bekkerus auctore Iacobsio p. 388. recepit, admittendum, et cap. 12. pro *in proelio*, quod Goellerus errore nescio quo lapsus codici tribuit et Bekkero pariter ac mihimet ipsi fucum fecit, vulgatum *proelio* revocandum; praesertim quum Livius etiam IX, 18. et 19. atque XXX, 30. et 35. praepositionem omiserit.

artis faucibus dirimens] Vocabulum *fauces*, Liv. XXVIII, 30. de freto Gaditano positum, non solum hic et XXXII, 21. de Isthmo dicitur, sed etiam XXXIII, 17. ubi, quum in ed. Mog. *iis partibus* legatur, in cod. Mog. *artis partibus* pro *artis faucibus* exstitisse et syllabam *ar* cum priore libri tricesimi tertii parte intercidisse apparet. Haec Goellero potissimum, qui p. 21. not. 6. de hac ipsa re parum accurate exposuit, dicta sunto.

inclutam] Hanc huius vocabuli scripturam, quum illud a *cluo* sive *clueo* derivetur, hic et alibi praetuli vulgari *inclitam;* praesertim quum librarius hoc loco, quod mireris, et *inclytum* et *inclutum* posuerit. Sed in codicibus Vindobonensi an-

tiquioribus formam *inclitus* quoque exstitisse, ex Liv. XLIV, 11. intelligitur, ubi pro *in altum magnitudine Atho mons*, quum *in altus magnitudine*, quae in orationis contextum recepta Bekkerus uncinis inclusit, in cod. Vindob. reperiri didicissem, meo periculo, syllaba *al* in *cli* mutata, *inclitus magnitudine Atho mons* scribendum esse, in Comm. de locis Gellii Noctt. Att. Lib. VI. cap. 1. et Lactantii Epit. Inst. Div. cap. 29. p. 10. sq. dixi.

quae remediorum salutarium aegri mercedem sacraverant deo] Recte Drakenborchius: „Vir doctus, inquit, ad marginem ed. Curionis coniecit *remediorum salutarium* „*compotes aegri*, adscita voce, quae tamen necessaria non est. Quisque enim videt, „verba *remediorum salutarium* regi a voce *mercedem*." Similis est collocatio verborum Liv. XXXVI, 31. *de Zacyntho intercepta per fraudem insula questus*, et XL, 19. *ut is numerus effici militum non potuerit.* Praeterea illo loco in cod. Bamb. non $\overset{o}{p}$, id est *primo, fugatum ex Graecia Antiochum* et, vocabulo *aut* omisso, *in posterum caveri*, ut Goellerus ait, sed *p'*, id est *post*, *fugatum ex Graecia Antiochum* et *in posterum aut caveri* scriptum reperitur.

ac Pallantium] Nondum poenitet me coniecturae, a Bekkero quoque probatae, qua *ac Palantium* sive *Pallantium* in depravata codicis scriptura: *ac silentium*, latere auguratus sum. Etenim Plinius Hist. Nat. IV, 6. Pallantium sive Pallanteum, urbem Arcadicam, de qua interpretes ad Liv. I, 5. velim conferas, et Megalopolim, itidem in Arcadia sitam, eodem ordine recenset, quem L. Aemilius Paullus in Graecia peragranda secutus est. Ceterum Baumgarten-Crusius, licet hi Livii libri ex solo cod. Vindob. sint editi, haec verba a librariis nescio quibus omissa esse dixit.

escendit] Hoc verbum ex cod. Bamb. Liv. XXXIV, 56. XXXV, 43. XXXVII, 3. et 9. atque ex cod. Vindob. Liv. XLI, 22. et 23. XLII, 15. 38. et 42. et XLIII, 16. restitui: nec iniuria. Vid. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. II, 28, 6. atque Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 13. p. 48. qui hoc verbum non nimis cupide scriptoribus antiquis obtrudendum esse monuit. Quippe codicum auctoritati hac in re obsequendum est. Non igitur erat, opinor, cur Grynaeus hic et alibi a cod. Vindob. scriptura discederet.

visa et] Grynaeus haec verba recte transposuisse videtur. Quum autem hoc *et* respondeat alteri, quod praecedit, neque cum Gronovio *sed*, neque cum Clerico *at*, neque cum Doeringio, temerario coniecturarum faciendarum artifice, *ubi inter alia spectanda Iovem, velut praesentem, intuens motus animo est*, scribendum esse apparet. Ceterum haec vocula eliminanda Liv. XXXIII, 21. ubi *Attalus rex* ponendum, omisso *et*, quod a cod. Bamb. abesse, Goellerus non vidit: contra postliminio recipienda Liv. XLV, 21. ubi, quum pro *ut, qui* in cod. Vindob. *uter qui* legatur,

haud dubie scribendum: *ut et, qui non professi essent se intercessuros* etc. Sequitur enim: *et, qui ad intercedendum venissent, desisterent.*

ut nihil eorum] Antecedens nomen *Graecia* effecit, ut librarius *aut nihil eorum* scriberet. Hoc ipsum autem vocabulum *aut*, quod paullo post Drakenborchius in locum copulae *ac*, consentiente Crevierio, recte restituit, Liv. XLII, 50. voculam *ut* intercepit. Ibi enim, quum *aut viro* etc. in cod. Vindob. exstet, neque cum Grynaeo *ita ut viro forti dignum sit*, neque cum Bekkero *ut viro forti dignum sit*, sed *aut, ut viro forti dignum sit*, ut iam dudum edidi, scribendum esse, non est, quod dubites.

animos sociorum] Quemadmodum hic, ut Liv. XLI, 1. ubi, quum cod. Vindob. *mari superiore* obtulisset, Muretus *maris superi orae* scribendum esse vidit, alterum *s* a librario omissum est, ita alibi eadem litera praecedenti vocabulo perperam adiecta reperitur. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXVIII, 25, 2. Sic Liv. XXXIII, 21. in cod. Bamb. *multitudinis semper* pro *multitudini semper*, et XLII, 15. in cod. Vindob. *regis sermo* pro *regi sermo* legitur. Propterea haud scio, an Liv. XXXIII, 6. pro *noctis simillima*, licet Drakenborchius ad Liv. VI, 13, 3. inter alia huius constructionis exempla *imperatoris similes* ex Liv. XXVI, 16. protulerit, *nocti simillima* scribendum sit.

cum revertitur] Neque vulgatum *revertit* probandum, neque auctore Gronovio *revertisset* ei substituendum, sed, quum classici scriptores non in praesenti, verum in praeterito forma huius verbi activa usi sint, et sordidata Aetolorum turba Aemilio nondum Demetriadem reverso, sed in itinere occurrerit, *quum revertitur* scribendum esse, recte monuit Drakenborchius, quem Bekkero adstipulante secutus sum. Librarium autem, qui contrario errore lapsus supra cap. 27. *petitur* et *descenditur*, adeoque huius libri cap. 12. *habuitur* et cap. 13. *proveniantur* scripsit, hic, omissa formae passivae nota, *revertit* pro *revertit̃* posuisse, Drakenborchius non minus recte existimavit.

percunctanti] Similiter librarius, qui hoc loco *percunctanti* in *percunctati* mutavit, Liv. XLII, 13. *denudatis* pro *denudantes*, et cap. 26. *fluctuatis* pro *fluctuantes* posuit, atque eiusdem libri cap. 18. scripsit: *fatigatis sepe idem petendo senatum*, ex quo, quum Grynaeus *fatigato saepe idem petendo senatu* edidisset, restitui: *fatigantes saepe idem petendo senatum*, quod Bekkerus tacite probavit.

quingentos quinquaginta] Librarios literam *a* pro numeri quingenarii notis *IↃ* sive *D* posuisse constat. Vid. Drakenborch. ad Liv. X, 29, 17. Quod quum is quoque, qui cod. Vindob. exaravit, uti hoc loco, ita alibi saepissime fecerit, Liv. XLII, 60. pro *capti ferme ducenti equites*, quum *capti ac ferme ducenti equites* in codice exstet, certissima emendatione scripsi: *capti sexcenti ferme equites*, omisso vocabulo

ducenti, quod ex praecedentibus male repetitum est. Cf. Plutarch. Aemil. cap. 9. ubi idem equitum captorum numerus reperitur. Vide igitur, an Liv. XXXIII, 14. cod. Bamb. lacuna ita sit explenda, ut pro *ex quibus armaturae levis*, numeri nota inserta, scribas: *ex quibus a armaturae levis*, id est *quingenti*, nisi forte hic numerus iusto minor fuerit. Utinam Liv. XLII, 5. cod. Vindob. scriptura: *iusti crediti solutionem in z annorum pensiones distribuit*, similiter vel suppleri, vel emendari possit.

missos ab A. Baebio praefecto praesidii] Olim quidem, ne quis amplius cum Dukero de horum verborum sententia laboraret, pro *missos a Baebio praeside*, quum in cod. Vindob. non *praeside*, sed *praesidi* legatur, plenius edidi: *missos a Baebio praefecto praesidii*, quod Bekkerus quoque tacite recepit. Neque est, cur huius supplementi me poeniteat. Similiter enim in cod. Bamb. Liv. XXXIV, 25. *praefectus praesidi* pro *praefectus praesidio*, et XXXVII, 12. *praefecto praesidi* pro *praefecto praesidii*, atque in ipso cod. Vindob. Liv. XLIII, 18. *praefectorum praesidi* pro *praefectorum praesidii* scriptum est. Nunc autem, quum non solum vocabulum *praefecto*, sed etiam praenomen Baebii, quod Livius infra cap. 31. addidit, librarii culpa intercidisse, et *ab a. baebio* in *a baebio* abiisse videatur, duplicem huius loci lacunam ita explevi: *missos ab A. Baebio praefecto praesidii*, eiusque emendationem absolvi.

possideri. Iussis, qui arguebantur] Grynaeus, quum *et exulum possidere iussis qui arguebantur Ampipolim adesse* in codice reperisset, librarium verba hic quoque, ut Liv. XLII, 27. ubi *Brundisi adesse hac classe iuberet* pro *Brundisii adesse iuberet. Hac classe* etc. posuit, et XLIV, 22. ubi *quando quiesset sit ne quid melius faciendum sit*, pro *quando quiesse sit melius. Nec quid faciendum sit* etc. scripsit, perperam transposuisse opinatus, totum locum in hunc ordinem redegit: *et exsulum possidere, qui arguebant. Iussis Amphipolim adesse* etc. Hoc omnes omnino Livii editores retinuerunt, ita tamen, ut Bekkerus mecum ex Dukeri sententia *Amphipoli* scriberet, atque Doeringius, si quidem *Amphipolim* legendum sit, verba *in castris ad* ante hoc nomen excidisse, temere statueret. Quum autem, si Grynaei rationem sequaris, pro *qui arguebant*, sive haec verba ad Aetolos, Lycisci et Tisippi accusatores, cum Crevierio, Rupertio et Doeringio ineptissime referas, sive eadem ad Lyciscum et Tisippum, senatorum accusatores, quos multo, quam illos, probabilius est bona eorum, qui interfecti essent, et exsulum possedisse, rectius referri, cum Heusingero censeas, *qui arguerent* ponendum esse videatur, servato verborum ordine, non tam *qui arguebant*, quod et ipse olim ad Aetolos rem ad Aemilium deferentes pertinere opinabar, quam *qui arguebantur*, quod non solum ad Lyciscum et

Tisippum, sed etiam ad A. Baebium referendum esse apparet, scribendum, totumque locum, una tantum literula mutata, hoc modo constituendum arbitror: *bonaque eorum, qui interfecti essent, et exsulum possideri,* sc. ab Lycisco et Tisippo. *Iussis, qui arguebantur, Amphipoli adesse,* ut cognitionem huius rei exerceret, *ipse* etc. Rem conficit Livius ipse, qui, quum supra XLII, 38. dixisset, Lyciscum praetorem, cui Polybius XXX, 10. Tisippum quoque addidit, Romanorum favisse rebus, infra huius libri cap. 31. haec narravit: *Aetoli deinde citati: in qua cognitione magis, utra pars Romanis, utra regi favisset, quaesitum est, quam utra fecisset iniuriam, aut accepisset. Noxa liberati interfectores: exsilium pulsis aeque ratum fuit, ac mors interfectis. A. Baebius unus est damnatus, quod milites Romanos praebuisset ad ministerium caedis.* In codice, quem pressius secuti sumus, *utre fecisset* et *accepisset* legitur, quae Grynaeus temere, ut opinor, in *utri fecissent* et *accepissent* mutavit.

nimis soluta custodia] Vocabulum *cuius*, cui olim substitueram *curis,* quod Baumgarten-Crusius ex sequenti *custodia* ortum esse existimavit, iam in minore Livii editione induxi. Similiter enim librarius Liv. XLII, 26. *rebusponso* pro *responso,* et cap. 29. *equitum eventum* pro *eventumque* scripsit.

diei iter est] Pari modo Liv. XLIV, 1. mediae orationi interponitur: *diei unius expedito iter est.* Quod quum totidem literis in cod. Vindob. scriptum exstet, Grynaeum illud temere in *diei unius expedito itinere* mutasse, licet Liv. XLII. 55. *iter expeditum,* et XLIV, 43. *via expedita* legatur, satis mirari non possum. Sic Liv. IX, 9. *Tridui iter expeditis erat:* Neque minus certa est ac manifesta emendatio loci Liv. XXXIII, 19. ubi in cod. Bamb. non vulgatum: *quibus fuga expeditior fuit,* ut Goellerus falso perhibet, sed *quibus fuga in expedito fuit,* scriptum reperitur, quod illi utique praeferendum est. Sic Liv. XXXVI, 16. *in expedito habere* legitur.

vagari] Ut hoc loco *vacari* pro *vagari,* ita Liv. XLII, 19. *vacaretur* pro *vagaretur* in codice exstat, sollenni librariorum errore. Contra Liv. XXVII, 16. non *vagus,* sed *vacuus paullo post equus errans per urbem cognitus,* scribendum esse, in Comm. de Sallustii Hist. Lib. III. Fragmentis Part. II. p. 40. docui, idemque Doederlinus, id quod postea intellexi, biennio ante in Synonym. Lat. Part. I. p. 95. eodem plane modo demonstravit.

passus esset] Ita iam Gronovius lectionem *passus est* in codice repertam recte emendavit. Librarii enim verba *est* et *esset* alibi quoque permutarunt. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXII, 36, 4. Aliter in hoc vocabulo peccavit Goellerus, qui Liv. XXXIII, 43. pro *adiutor consuli datur* in cod. Bamb. *adiutor consul datust,* sibi reperisse visus est, de qua scribendi ratione cf. Niebuhr. ad Ciceronis Oratt.

pro M. Fonteio et pro C. Rabirio Fragmenta p. 60. Ibi enim litera *t* sive *T.* vocabulo *datus* non adhaesit, ut in Epist. ad Goeller. p. 458. suspicabar, sed librarius perspicue admodum scripsit: *adiutor consul datus t. quinctio,* id est *datus T. Quinctio* etc. Similiter cap. 22. pro vulgato: *Quumque Minucius* etc. olim, restituta praenominis nota, ex coniectura reposui: *Quum Q. Minucius* etc. quod ipsum nunc Goellero succedens in cod. Bamb. reperi hoc modo scriptum: *cū q. minitius,* id est *Cum Q. Minutius* etc. Nam paullo post *q. minutium* pro *Q Minucium* in codice legitur.

refici tecta] Hoc vulgato: *resarciri tecta,* quod Grynaeo debetur, substituendum putavi, quum verbum *resarcire* apud Livium reperiri non meminerim, atque Liv. XXXIII, 17. *quassata muri reficere,* quod verbum, licet in cod. Bamb. desideretur, Goellero auctore omittere nolim, et cap. 38. ut VI, 1. *reficiendae urbis* legatur. Facilius etiam, si ita hunc locum correxeris, intelliges, qui factum sit, ut *referrique tegulas et referri et tecta* scriberet librarius, qui persimili errore lapsus Liv. XLII, 26. *redierunt legati qui redierunt,* cap. 44. *suo quoque proprio propriam societatem aspernata,* XLIV, 33. *ex stativa statione,* et XLV, 13. *legati deinde victoria sunt* posuit, atque horum locorum scripturam dubiam et incertam reddidit. Vide tamen, an loco Liv. XLII, 44. ita mederi possis, ut, quum cap. 43. *quibus populis proprie societatem cum rege iungi displicuisset* legatur, non tam *suo quique proprio decreto regiam societatem aspernati,* quod olim in minore Livii editione vulgato substitui, quam *suo quique decreto propriam societatem aspernati* scribas; praesertim quum *proprio*, verbis *suo quique decreto* iunctum, plane redundare videatur.

Samothrace] Insulae sacrae olim et augustae nomine admonitus facere non possum, quin in huius opusculi fine coniecturam qualemcunque expromam de loco Liv. XLV, 5. desperato quidem illo, ac paene conclamato, ita tamen forsitan sanando, ut, quum in cod. Vindob. *polui eam* pro *pollutam*, atque praeterea *praefatiorum* pro *praefatio sacrorum,* et *contra minari* pro *contaminari* legatur, L. Atilii verba de hac ipsa insula in hunc maxime ordinem redigantur: *Cur igitur pollui eam ab homicida, qui Delphos sanguine regis Eumenis violavit, et, quum omnis praefatio sacrorum eos, quibus non sint purae manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis?* Huic coniecturae favent, ut opinor, non solum ea, quae Liv. XLII, 15. et 16. narrantur, sed etiam ea, quae hic proxime sequuntur: *Nobilis fama erat apud omnes Graeciae civitates Eumenis regis per Euandrum Delphis prope perpetrata caedes,* atque similiter in fine huius capitis duo sanctissima in terris templa *sanguine humano violata,* et a Cicerone in Verr. V, 72. Cereris Liberaeque sacra *polluta et violata* dicuntur. Sed haec hactenus. Idem enim Cicero mihi inclamat: *Heus tu, manum de tabula.*

EPILOGUS.

Quae per proximum quoque annum, multis illum quidem exterarum nationum atque gentium cladibus insignem, sed patriae nostrae novis iisque maxime salutaribus institutis ac legibus stabilitae auspicatissimum, numinis divini inter gravissimos pestilentiae undique imminentis terrores pro publica universorum atque privata singulorum salute excubantis providentia, Regis Augustissimi et Potentissimi non minus, quam Principis Serenissimi, quem ille in regni societatem adscivit, clementia et cura vere paterna, atque Summorum Virorum, qui res sacras et scholasticas in Saxonia administrant, consiliis sapientissimis ac decretis saluberrimis quum Afraneo nostro, tum nobismet ipsis contigerunt beneficia nunquam satis praedicanda, eorum memoria animis nostris tam alte infixa haeret, ut grata praeteritorum recordatione et laeta futurorum cogitatione solito gravius commoti more institutoque maiorum indicamus anniversaria Scholae Regiae Afranae sollennia, ita quidem perendie celebranda, ut decem adolescentes, virtutis pariter ac doctrinae laude conspicui, quos communis omnium pietatis testes atque interpretes esse iussimus, hoc deinceps ordine ad dicendum sint prodituri:

Adolphus Robertus Albani, Koenigsteniensis, de Graeco versiculo: *Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι*, oratione Latina exponet, simulque fautorum de Afraneo nostro bene meritorum memoriam recolet.

Carolus Henricus Schanze, Stauchensis, gaudia aliis comparare, quam gaudiis perfrui, dulcius esse, carmine vernaculo declarabit.

Franciscus Petrus Alexander a Freiesleben, Neostadiensis, Horatianum: *Nil mortalibus arduum est,* carmine Latino eoque lyrico explicabit.

Ioannes Gotthelf Kuehne, Bischhemiensis, Pindaricum: *Ἓν παρ' ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι*, carmine Graeco eoque numeris Pindaricis adstricto persequetur.

Oswaldus Fridericus Schmalz, Stolpensis, Io. Muelleri sententiam: *Wo Licht und Feuer, da ist Leben,* oratione vernacula interpretabitur.

4*

Carolus Volkmarus Stoy, Pegaviensis, Hesiodeum: Ὄλβιος, ὅντινα Μοῦσαι φιλεῦνται· γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή, carmine Graeco eoque elegiaco exponet et vernaculam eius translationem subiunget

Fridericus Guilielmus Tittmann, Doebelensis, Schilleri versum: *In seinen Göttern malet sich der Mensch,* carmine vernaculo explicabit.

Guilielmus Michael Schaffrath, Schoenensis, Martialis illud: *Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones,* carmine Latino eoque lyrico persequetur.

Fridericus Mauritius Oswaldus Baumgarten, Arnsdorfiensis, Tiedgii sententiam: *Gott spricht durch seine Welt, der Mensch durch seine That,* carmine vernaculo interpretabitur.

Christianus Ludovicus Wilisch, Haynensis, qua ratione animi generositas factis sit probanda, oratione Latina demonstrabit.

Quo certius autem speramus, imo confidimus, urbis agrique Misenensis incolas, qui nobis, id quod habemus persuasissimum, nostrisque rebus bene cupiunt, nunc quoque pro ea, quam saepe alias experti sumus, humanitate ac benevolentia frequentes adfuturos, et adolescentium illorum inter sese aemulantium studia conatusque praesentia sua atque audientia adiuturos esse, eo lubentius in tanto virorum honestissimorum conventu non solum annua illa praemia, quae insigni Afranorum, quos vocant, liberalitate olim sunt constituta, iis disciplinae nostrae alumnis tribuemus, qui et commilitonum suffragiis, et magistrorum sententiis hoc honore digni sunt iudicati, sed etiam Silvulas Afranas, quas ab inhonesta vel gloriolae vel lucelli cupiditate alienissimi, ut et publicum exstaret nostrae erga hanc Scholam caritatis monumentum, et alumnorum Afranorum animi ad adsiduam ac strenuam poeseos Latinae, aequalium nostrorum obtrectatione et malevolentia in contemptum adductae, tractationem praemiorum dulcedine pellicerentur, nunc ipsum edidimus, Divae Afrae, artium optimarum nutrici benignissimae et conservatrici fidelissimae, ipso huius Scholae die natali, quem faustis semper auspiciis rediturum esse laeti auguramur, donarii instar consecrabimus.

Scr. in Schola Regia Afrana ipsis Calendis Quintilibus CIƆIƆCCCXXXII.

INDEX LOCORUM LIVII,

DE QUIBUS OBITER IN HOC LIBELLO AGITUR.

ADDITAMENTUM.

Pag. 15. lin. 34. post: pro *Marcellus*, adde: cap. 43. *T. Sempronio Longo* pro *Sempronio Longo*.